

Mitto et Tuam Agrostidem, cujus semina mittebas ante biennium, certe in olla cum tuis seminibus sata, exortum est gramen. Perennat in hybernaculo.

Upsaliae 1765. Febr. 15.

33.

Viro amplissimo DD. Nicolao Jacquinio s. pl. d.
Car. v. Linné

Tuas die 29. Martii hisce diebus accepi.

Geum orientale rotundifolium supinum flore aureo T. multum similitudinis habet cum mea *Saxifraga sibirica*. et Geum orientale cymbalariae folio molli et glabro flore magno albo T. cujus figura exstat in Tournef. itiner. 2. p. 148. foliis simillimum est, sed Tournefortii habet flores albos et petala obtusa.

Stipae semina erant *Stipae capillatae*.

Bryum hypnoides est *Polytrichum urnigerum*.

Asclepiadis giganteae nullibi bona figura prostat, mereatur omnino Tua manu delineari, si haec maturet semina, quaeso unum alterumve mittas.

Bocconi librum de siculis plantis non possideo, emi eum dudum Halae, sed nondum obtinui, ideo nil possum dicere de Gramine filiceo. Recordor me vidisse in Bocconii libro *Rhamnum pentaphyllum*, et miratum cujus esset generis. Si posses hanc plantam determinare, egregium patres facinus.

Laserpitii Tui folium si modo vera Laserpitii species, erit procul dubio Laserpitii gallici, alia enim foliatura est in Laserpitio prutenico; sed folium tuum, seu potius foliola sunt angustiora quam in meo Laserpitio gallico, forte desumptum e superiore parte caulis; sed in Laserpitio gallico foliola magis nitent, forte Tua desumpta in loco alieno.